

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Qui immunis à peccato mortali communicat, s[e]d cum affectu peccati venialis, & absque actuali devotione recipit-ne augmentum gratiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

C A P U T X I I .

De Effectibus Sacramenti Eucharistiae.

Quæst. 1. **Q** UIS N A M est primus Sacra-
menti Eucharistiae effectus ?

Resp. Ut habetur in Decreto Eugenii IV. in
Concilio Florentino : *Hujus Sacramenti effec-* Decret. Eu-
tus quem in anima operatur dignè sumentis, genii IV. in
est adunatio hominis ad Christum; & quia Conc. Flor.
per gratiam homo Christo incorporatur &
membris ejus unitur, consequens est quod per
hoc Sacramentum in sumentibus dignè augea-
tur gratia.

Hoc Sacramentum, ait sanctus Carolus, S. Carol. Ac-
gratiam in animam influit, cùm pure & tor. p. 4. De
sancte sumitur. Qui manducat, inquit Domi- fact. Eucha-
nus, meam Carnem & babit meum sangu- ris.
inem, in me manet, & ego in eo. Qui enim
pietatis & religionis studio affecti hoc Sacra-
mentum sumunt, Christi Corpori tanquam
viva membra inseruntur; si quidem scriptum
est. Qui manducat me, & ipse vivet prop-
ter me.

Quæst. 2. Qui immunis à peccato mortali
communicat, sed cum affectu peccati venia-
lis, & absque actuali devotione, recipit-ne
augmentum gratiæ?

Resp. Videtur, juxta Divum Thomam, fieri
posse, ut accedens ad hoc Sacramentum ab-
sque actuali devotione, cum affectu peccati
venialis, non percipiat effectum hujus Sacra-
menti, quamvis immunis sit à peccato letali; D. Th. in 44
Dicendum, inquit, quod omnis perfectio ac- dist. 12. art.
quirenda impeditur per remotionem propria 1. q. 2. in
dispositionis. Sicut autem dispositiones mate- resp. ad 2.
quæst.

210 TRACTATUS IV.

riales se habent ad perfectionem formæ , ita actus se habent ad perfectionem finis. Vnde cùm hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini , ad hoc quòd effectum suum plenè habeat in sumente , oportet quod adsit actualis devo-
tio : & quia interdum absque mortali peccato
actualis devotio impediri potest , cùm distra-
tiones varia ipsam impedian , & peccata ve-
nialia virtutum actum tollant ; absque pecca-
to mortali potest effectus hujus Sacramenti im-
pediri : ita quòd aliquis augmentum gratia
non consequatur , nec tamen reatum peccati
mortalis incurret : sed forte reatum peccati
venialis , ex hoc quòd imparatus accedit .

Et Cardinalis Cajetanus hujus rationem , ut
Card. Cajeta- ita dicam , sensibilem affert his verbis : Si qua-
nus. in 4. q.
79. 3. p. 5.
Tho. libet sumptione Eucharistia (etiam si nullus
interior charitatis actus , ob mentis distractio-
nem , interveniat) augeretur gratia : infini-
torum panè Sacerdotum , quos credimus verè
in gratia celebrare , charitas jam esset major
intensivè , quàm credi rationabile fit , cùm
tanta multitudo charitatis in tanta multitu-
dine otiosa pateat , quoniam nec extra appa-
rent , nec intus de seipsis testantur actus simi-
les ferventissimæ charitatis : & tamen certum
est , quòd sicut amor Dei non est otiosus , sed
operatur magna , si est : ita tam magnus aug-
mentatio amoris Dei non est otiosa , sed opera-
tur multò majora quàm priùs proportionaliter , si est ; & consequenter si longè majora
operari renuit , longè major charitas non est ;
& tamen longè major ponitur esse in singulis
celebrationibus , quantumcumque parum cre-
visset charitas Sacerdotis , qui tot annis , die-
bus ferè singulis in gratia celebravit .

Quæst. 3. Quinam sunt cæteri hujus Sa-
cramenti effectus ?